Christiani Kisii ão 97. d. 25. Junii

Sum [illegible]
ad [illegible]86. 3. [illegible].

vide Dreieri diss. contra Pontificios de hac materia anno 1649. editam p. 831.

QVÆSTIONVM AD DOCTRINAM DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO HOMINISQVE CONVERSIONE PERTINENTIVM

DISPVTATIO PRIMA

Quam

Auxiliante divinâ gratiâ

Publico eruditorum examini

SISTIT

MICHAEL BEHMIVS
Th. D. & P.P.

RESPONDENTE

IOHANNE NICOLAO Wundschmann/
Hottelstadensi Vinariâ-Thuringo.

Ad diem 22. Febr. in auditorio majori.

(***)

REGIOMONTI, TYPIS MENSENIANIS,
ANNO 1647.

OMNIUM
IN ACADEMIA REGIOMONTANA
NATIONVM

Nobilissimis, Eximiis, Præstantissimis, Humanissimis Dominis

STUDIOSIS,

Fautoribus & Amicis suis plurimum honorandis.

S. D.

MICHAEL BEHMIUS, D.

VOBIS, *Viri, Iuvenesq; Nobilissimi, Eximii, Doctissimi, nec alteri prima hæc nostra de Conversione Exercitatio erat offerenda. VOBIS enim, ut nostis, suscepturum in me hunc laborem, publice promisi. Neq; alius mihi, dum hæc tracto, finis est propositus, quam VESTRIS commodis inservire, & quæ recondita in hoc articulo latent, quantum id per ingenii tenuitatem & materiæ difficultatem licet, facilia reddere & plana. Deniq; dudum est ex quo cogito, quo indicio, dum per adversam corporis valetudinem mereri de VOBIS, quantum cupio, non licet, affectum saltem bene merendi testarer. Quod hac fieri posse occasione mihi persvasi. VOS, si eo, quo à me proficiscitur animo (quod nondubito) hanc meam compellationem acceperitis, erit profecto, de quo mihi magnopere gratulabor. Valete, & DEO, PATRIÆ, VOBISq; ipsis perennate.*

d. XII. Febr.
A. CIↃ IↃ C XLVII.

CVM DEO!

Nullum est dubium, quin illa quæ de gratia & libero arbitrio inter Theologos agitatur controversia præ reliquis difficilima sit, & maxime intricata. Quippe quæ & veterem Ecclesiam non uno seculo mirum in modum turbavit, & hodie etiam tot arduis disputationibus hæret implicita, ut pauci numerum illarum assignare, quomodo autem decidendæ veniant singulæ, pauciores norint. Cujus quidem rei etsi multæ possint allegari causæ, tres tamen inter illas mihi præcipuæ videntur. Primò, quod res ipsa, quæ illis quæstionibus ventilatur, ita est comparata, ut vix primis rudimentis capiendis noster intellectus sufficiat, & vero Deus etiam modum, quo ejus gratia in homine operetur, quo cum libero hominis arbitrio in salutis negotio concurrat, miseris nobis homunculis manifestare non duxerit necessarium. Quo ille Servatoris nostri ad Nicodemum habitus sermo spectat, quando is horum mysteriorum adyta nimis curiose scrutabatur: Spiritus, *ait Christus*, ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Joh. III. 8. *Quod prudens supremi Doctoris monitum, cum nec olim omnes attenderint, & hodie etiam pleriq; negligant, quid mirum, si ita se interdum curiosa ingenia intricent, ut, qua sibi tandem via perrumpendum sit, vix assequantur. Accedit, quod divina hoc articulo contenta veritas utraq; ex parte, dextra pariter & sinistra, versutissimorum hæreticorum contradictionibus nunquam non fuerit exposita. Quibusdam ipsa*

hominum, prout à DEO condita est, naturæ vim inferentibus, quibusdam vero illius viribus plus tribuentibus, quam par erat. A quorum deflexionibus se medium continere, ardua res semper fuit, & adhuc est. Augustinus profecto, illorum, qui has controversias tractarunt, sine dubio princeps, quando inter ista Manichæorum & Pelagianorum præcipitia anxius versatur: Ista quæstio, *inquit*, ita difficilis est ad discernendum, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari DEI gratia videatur; quando autem asseritur DEI gratia, liberum arbitrium putetur auferri. *Chemnitius etiam, causam assignaturus, ob quam recentiores nostri Doctores tantis se sæpe involvant difficultatibus, ut contrariis in speciem loquendi formulis utantur, non aliam, quam hanc ipsam contradicentium diversitatem, allegavit:* Ex nostris quoq; *inquit*, qui tamen idem sentiunt, sæpe non eodem modo videntur loqui, dum unus Pelagianismum, alter Enthusiasmum sibi oppugnandum proponit. Et inde finguntur ἀντιλογίαι, & moventur certamina non necessaria. *Nimirum & hic facilè impletur illud Poetæ:*

Lib. IV. contr. Julian. Pelag. cap. VIII.

LL. CC. de lib. arbit pag. m. 488.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

~~Deniq; nec illud parum reddit~~ *has controversias intricatiores, quod ab indoctis sæpè hominibus,* ~~& quibus nec à natura~~*, nec ab eruditione sufficientia suppetunt adminicula, tractantur. Certum enim est, si ullibi in S. Theologia, ad has inprimis controversias decidendas & singularem ingenij promptitudinem, judicandiq; insignem dexteritatem requiri: & philosophicarum quoq; scientiarum notitiam adeo hic esse necessariam, ut sine illa quicquam aut recte intelligi, aut accurate decidi non possit. Et si ipse S. Augustinus, qui non habet inter Ecclesiæ doctores ingenio parem, quiq; peculiariter his controversiis dirigendis à DEO fuit destinatus, omnibus*

bus difficultatibus expediendis vix par fuit: si alij etiam multi, *ut monet Chemnitius*, quibus nec ingenium nec diligentia defuit, non tantum hallucinati sunt, sed sæpe toto cœlo aberrarunt: *quid mirum, si hæreant illi, qui mediocritatem nondum attigerunt? Cæterum hæc ideo volui præmissa, ut ne quis nimium miretur, si hodie etiam oriri super hac re lites cernat. Manebit, dum vivimus, imperv estigabilis, qui hic latet, scientiæ abyssus. Et habet in hunc usq; diem veritas suos utrinq; impugnatores. Nec, qui augent difficultatem, imperiti desunt. Ego ut ea, quæ in hac materia suborta video simplicioribus dubia, illorum animis eximam, quæstiones quasdam formabo; quarum decisione & satisfacere objectis difficultatibus, & illustrare aliquo modo difficillimam hanc doctrinam, idq; non tam meis, quam aliorum Orthodoxorum Theologorum, veterum pariter & recentium adductis testimoniis, conabor. Quod ut bene vertat, faxit ille*, à quo omne bonum perfectumq; donum desuper ad nos descendit, quiq; & velle in nobis & perficere ipse per gratiam suam unice operatur.

LL. CC. de lib. arbit. pag. m. 439.

Jac. I. 17.

Philipp. II. 13.

QVÆSTIO I.

An is qui ex animo protestatur, hominem in sui conversione nihil agere ex propriis & naturalibus liberi arbitrij viribus, sed quæcunq; illic præstantur, viribus gratiæ à Spiritu Sancto collatis VNICE OMNIA fieri, pro Pelagiano, Semi-Pelagiano aut Synergista haberi possit?

Id verò apud illos, qui hanc de gratia & libero arbitrio doctrinam vel primis labris attigerunt, non potest non esse absurdissimum. Cùm & Pelagianorum & Semi-Pelagianorum & Synergistarum error in eo unicè consistat, quòd conversionis opus viribus liberi arbitrij aut in solidum adscribunt, aut illas juxta cum gratia ad conversionem concurrere asseverant.

In epitome de lib. arb. pag. 580.581. & in declar. pag. 677.

Pelagianismum quod concernit, illum ita describit Formula Concordiæ: *quòd homo PROPRIIS VIRIBUS SINE GRATIA SPIRITUS SANCTI sese ad Deum convertere, Evangelio credere, legi divina ex animo parere, & hac ratione peccatorum remissionem ac vitam æternam ipse promereri valeat.*

De Semi-Pelagianis, quæ illorum fuerit sententia, & quid illud propriè sit, quo Pelagianis facti sunt mitiores, intricatior res est, & paucis, ut opinor, cognita. Unde mirari satis non possum, intempestiva hominum, quæ nunc in vulgus sparguntur, de Semi-Pelagianismo judicia. Quasi obvium sit plebi cognoscere, aut etiam è suggestu cuilibet ad populum definire integrum, quibus expediundis vix hactenus Academicæ cathedræ fuêre sufficientes, quibusq; etiam sagacissimi antiquitatum ecclesiasticarum indagatores tantum non succubuêre. Sed dandum illud seculi nostri perversitati. Ego, ut infirmis me accommodem, & ex concessis, quantum fieri potest, disputationem texam, in Formulæ Concordiæ (cujus cœpi autoritate uti) sententia acquiesco. Illius hoc est de Semi-Pelagianis judicium: *Præter hos errores rejicimus & Semi-Pelagianorum falsum dogma, qui docent hominem PROPRIIS VIRIBUS inchoare posse suam conversionem, absolvere autem sine Spiritûs S. gratia non posse.*

In Epit. de lib. arb. pag. 581.

Hæc

Hæc in Epitome Formula Concordiæ. Quibus affinia sunt, quæ de Semipelagianorum successoribus habentur hac ipsa de viribus liberi arbitrij declaratione. Declar. p. 677.

Ex qua etiam ista Synergistarum descriptio notetur: *Item, Synergistarum dogma (damnatum esto) qui fingunt, hominem in rebus spiritualibus non prorsus ad bonum esse emortuum, sed tantum graviter vulneratum & semimortuum esse. Et quamvis liberum arbitrium infirmius sit, quàm ut initium facere, & seipsum PROPRIIS VIRIBUS ad Deum convertere, & legi DEI ex toto corde obedire possit: tamen si Spiritus S. initium faciat, & nos per Evangelium vocet, gratiam suam, remissionem peccatorum, & æternam salutem nobis offerat; tunc liberum arbitrium PROPRIIS SUIS NATURALIBUS VIRIBUS DEO OCCURRERE, & aliquo modo (aliquid saltem, etsi parum & languidè) ad conversionem suam conferre, eam adjuvare, cooperari, sese ad gratiam præparare & applicare, eam apprehendere, amplecti, Evangelio credere, & quidem in continuatione & conservatione hujus operis PROPRIIS SUIS VIRIBUS, unà cum Spiritu S. cooperari posse.* ibib.

Breviter; Pelagianus est, ex sententia Formulæ Concordiæ, qui docet, hominem ex SOLIS NATURÆ ET LIBERI ARBITRII VIRIBUS se ad Deum convertere. Semi-Pelagianus, qui conversionis initium IN VIRIBUS NATURÆ collocat, quibus postea, ut illæ vires naturæ perficiantur, Spiritus S. se adjungat. Synergista autem, qui initium quidem conversionis à gratia esse concedit: sed ita tamen, ut per illas ab initio concessas Spiritus S. vires aliquid reliquarum in natura virium excitetur, quibus (NATURALIBUS LIBERI ARBITRII VIRIBUS) cooperari homo ad conversio-

versionem, requisitasq; ad illam actiones elicere possit. Quæ omnia qui asserit, anathema ille esto.

Cœterùm in illum minimè quadrant, qui totum conversionis opus, & quicquid ad eam requiritur, viribus Spiritus S. eiusq; gratiæ unicè & in solidum fert acceptum. Toto enim cœlo differunt: omnia in conversione viribus liberi arbitrij cum Pelagianis tribuere; &, unicè omnia à gratia fieri, quæ ad conversionem requiruntur, adseverare. Neq; minus quàm contradictoriè distant: Hominem nihil suarum virium ad conversionem largiri: & iterum: eundem vel inchoare ex viribus suis conversionem (qui est Semi-Pelagianismus) vel post inchoatam à Deo, suas vires viribus gratiæ (ut de Synergistis dicitur) miscere posse. Clara res est, cui si quis contradixerit, illum (ut, quod res est, edisseram) vel insigniter oportet esse rerum Theologicarum imperitum, vel extremè malum, vel, ut solet imperitiæ comes esse malitia, è binis illis conflatum.

Adjungo huic ex definitionibus & natura rerum petito argumento, autoritatem etiam, veteris unius, alterius recentioris, utriusq; maximi in suo ordine Theologi, qui expresse fatentur, dum supponantur ubivis in hominis conversione vires gratiæ, & omnia illorum ope fieri statuatur, nihil esse ab hujusmodi hæresibus periculi metuendum, quin nihil omninò controversiæ restare.

Lib. I. de gratia Christi cap. 47.

Ad illum itaq; modum Augustinus: *Si consenserit nobis* (Pelagius) *non solùm possibilitatem in homine, etiam si nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoq; voluntatem & actionem, id est, ut benè velimus, & benè agamus, quæ non sunt in homine nisi quando benè vult & benè agit: Si, ut dixi,*

dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem & actionem divinitùs adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus &c. nihil, de adjutorio gratiæ DEI, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur. Quibus gemina sunt ista Chemnitij nostri: *Addatur, hominem ipsum velle & posse assentiri, recipere & agere in conversione, sive in rebus spiritualibus, NON EX SUIS NATURALIBUS VIRIBUS sive ex toto, sive ex parte habere, sed accipere ab illo, qui operatur velle & facere; & nihil erit controversiæ.* Cogitent itaq; illi, quid sint responsuri Deo, qui, quando audiunt ista omnia supponi, de Pelagianismo tamen, Semi-Pelagianismo & Synergismo, nescio quos clamores publicè privatimq; excitant, & hominibus, illa, quæ requirebat Augustinus & Chemnitius, sine fuco & dolo profitentibus, non controversiam saltem movent, sed aqua etiam & igne, quantum in ipsis est, interdicunt.

Exam. Concil. Trid. part. 1. pag. m. 226.

QVÆSTIO II.

An sit Pelagianum asserere, hominem post oblatam sibi à DEO sufficientem ad conversionem gratiam, habere in sua potestate convertere se & non convertere?

De Pelagianismo, ut concepimus problema, si quæratur, non major hic est, quàm in præcedenti quæstione difficultas. Consistit enim, ut audivimus, Pelagianorum hæresis in eo, quòd nullam ad conversionem sive requirat, sive præsupponat interiorem Dei gratiam, sed prædicato extrinsecus verbo (quam nomine oblatæ gratiæ hæreticus insidiosè venditabat) homi-

hominem EX PROPRIIS VIRIBUS & posse acceptare illam & respuere, profiteatur. Quomodo ille igitur, qui sufficientissimas isti alternationi gratiæ vires præsupponit, pro Pelagiano fuerit proclamandus? Si verò quis ad Semi-Pelagianismum ac Synergismum ea voluerit accommodare, jam fassus est eo ipso, se in probando Pelagianismo (prout illum à Semi-Pelagianismo & Synergismo distinxerat) defecisse. Qua ratione & inconstantiam suam prodit, & ut sibi in cæteris quoq; non facilè credatur, ipse facit. Certissimum enim est malæ causæ argumentum, sibi non constare.

Cœterùm ut rem ipsam breviter expediam: sicut à Pelagianismo libera est illa locutio; ita quoq;, si rectè accipiatur, nihil habet cum Semi-Pelagianis & Synergistis commune: sed orthodoxa est, & nostrarum Ecclesiarum locutionibus ex asse conformis. Quod ut cuilibet ad oculum demonstretur, notandum est, eam phrasin, *homo post collatam sufficientem conversionis gratiam habet in sua potestate convertere se & non convertere*, dupliciter posse intelligi. Vel hoc modo, ut utrumq; extremorum, converti & non converti, à naturalibus liberi arbitrij viribus pendeat: quibus ut potest homo in conversione Deo reluctari, ita possit etiam assentiri, dummodò illæ vires naturæ per gratiam collatam fuerint excitatæ. Qui sensus hujus locutionis, sine dubio est Semi-pelagianus aut Synergisticus, & meritò omnibus piis mentibus abominandus. Verumenimverò, si eadem loquendi ratio ad hunc modum explicetur, quòd homo post collatam gratiam possit se per SOLAS GRATIÆ VIRES convertere, & verò etiam non convertere per propriam malitiam, & orthodoxa est, & ab orthodoxis nullibi non usurpata.

Augu-

Augustinus multis in locis illo, ut sano & contra Pelagianos quidem convenienti loquendi genere utitur. *Initium*, inquit, *salutis nostræ DEO miserente habemus, ut ACQUIESCAMUS salutiferæ inspirationi NOSTRÆ POTESTATIS est.* Alibi; *Motus, quo HUC & ILLUC voluntas convertitur, nisi esset voluntarius atq; IN NOSTRA POTESTATE, neq; laudandus esset, cùm ad superiora flectitur, neq; culpandus homo, cùm ad inferiora detorquet.* Rursus: *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset IN NOSTRA POTESTATE.*

de Eccles. dogm. cap. 21. lib. 3. de lib. arb. cap. 1. ibid. c. 3.

Mirum autem est, ut id obiter moneamus, quod quidam hac tanti Viri autoritate nihil omninò moti, dum allegari illius nomen audiunt, alto supercilio illud contemnunt, eidemq; nescio quæ recentiorum Doctorum nomina non æquiparare saltem, sed præferre etiam audent. Præterquã enim quod in genere verum sit B. Lutheri diversis in locis de S. Augustino latum judicium: hunc esse omnium post Apostolos Doctorũ Doctorem, nec quenquam illi ex eo tempore parẽ in Ecclesia extitisse; in asserenda adversus Pelagiũ divina gratia, & destruendis liberi arbitrij viribus ita se gessit Sanctissimus Pater, ut contemni ejus disputationes nisi ab homine temerario, omnisq; Theologicæ eruditionis vacuo non queant. Meisnerus certè noster & Hülsemannus, summi Viri, illos quos citavimus Augustini textus, in explicanda hac ipsa de gratia & libero arbitrio doctrina, ut orthodoxos allegarunt, qui adversus Pontificios probè notandos scripserunt. Ille in Anti Lessio: hic in disp. III. de gratia convertente.

Tó. VIII. Jen Ger. fol. 47. 230 Tom. III. fol. 368

Disp. 4. th. 28. Quæst. 7. th. 4.

Addimus Augustini dictis illas etiam veterum ab aliis nostratib' Theologis in hac materia laudatas autoritates

Vid. etiam Prosper lib. II de vocatione gentium cap. 26.

ritates. Irænei qui l. 4. adversus hæreses, *Vis*, inquit, *à Deo non fit, sed bona scientia adest illi* (*homini*) *semper. Posuit a. in homine POTESTATEM ELECTIONIS &c.* Hilarij lib. I. de Trin. *Esse filios DEI, non necessitatem, sed POTESTATEM dicit.*

Confess. Cathol. lib. 2. part. 2. spec. p. 578.

pag. 559. 560.

Sed quid de Gerhardo nostro dicemus, qui phrasin eam, de qua nunc controvertimur, non semel ut orthodoxam adhibet & admittit. *Postquam*, inquit, *homo novas vires accepit, ipsum VELLE ET NOLLE ASSENTIRI POSSE concedimus, sed suis naturalibus viribus non potest nisi nolle.* Et paginis aliquot præcedentibus, quando orthodoxam nostram de gratia & libero arbitrio doctrinam ex Alphonso de Castro adversus alios Pontificios adstruere conatur, & cum in finem quinq; illius autoris hac super re assertiones adduxit, quarum quarta hæc est: *Postquam DEUS voluntatem nostram excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hac POTESTAS, ut Deo monenti & inspiranti CONSENTIAT VEL DISSENTIAT:* Quando, inquam, Gerhardus ista ex Alphonso proposuit: *Has assertiones*, subdit, *non inviti admittimus, modò in quarta assertione illud rectè explicetur, quòd postquam Deus voluntatem nostram excitavit, sit in ipsa hominis voluntate hac potestas, ut Deo monenti & inspiranti consentiat vel dissentiat. Per illam enim excitationē non externū duntaxat aliquod auxilium, sive extrinseca excitatio virium in homine latitantium intelligenda, sed, ut in assertione tertia rectè exponitur, donum aliquod naturæ superadditum, i. e. novarum virium ad bonum eligendum necessaria collatio, quibus posteà homo UTI VEL NON UTI POTEST.* Hæc ita apud Gerhardum. Illius nominis Theologum, cujus & edita scripta nemini nisi in Theologia hospiti ignota sunt, & cui nemo, nisi temerarius, contradicere præsumat.

Angme

Agmen claudat insignis ex Dn. D. Hûlsemanni Calvinismo irreconciliabili locus. Qui cum in illo argumento versatur, ut irreconciliabilitatem (liceat ita loqui) dogmatum Calvinianorum & Lutheranorum demonstret, inter alia exempla illum etiam concilij Dordraceni canonem adducit, quo illi damnantur, *qui docent, posita gratia DEI, in hominis manere potestate, ut regeneretur vel non regeneretur. Hoc enim nihil aliud esse, quam tollere omnem efficaciam gratiæ DEI in nostra conversione.* Qua Dordracensium sententia proposita, contradictoriam omnibus Lutheranis adscribit Dn. D. Hûlsemannus. *Si evolvatur*, inquit, *odiosa æquivocatio alternationis illius: de potestate renascendi vel non renascendi: ita ut priorem potestatem dicatur accepisse homo vocatus per prævenientem gratiam; posterior autem defectus potius & naturalis impotentia appelletur, quàm potestas: dogma hoc à Dordracensibus damnatũ* (posita gratia manere in hominis potestate ut regeneretur vel non regeneretur) *EST LIBRI CONCORDIÆ, CHEMNITII ET OMNIUM LUTHERANORUM.* Verissimè! Is enim, qui posita gratia, negat hominem (per gratiam) se posse convertere, & (per propriam malitiam) non convertere, revera Lutheranus non est, sed irresistibilis gratiæ patronus, vel Reformatus. Quod probè observent illi, qui ex hoc loquendi modo Pelagianismum aliis impingere allaborant. Quæst. I. part. 2. th. XXIII. §. 3.

De phrasi, *oblata gratia*, quam in quæstione expressimus, illud breviter notandum, non significari ea externam tantum gratiæ per prædicationem verbi oblationem, sed ipsam interioris ac convertentis gratiæ per illud ipsum verbum collationem. Itaq; æquipollentes nobis termini sunt, oblata gratia, &, collata

gratia. Neq; enim DEUS primam, qua convertimur, gratiam cuiquam obfert, cui non conferat. Utiturq; ad eundem modum oblatæ gratiæ nomine (ut plurimos alios veteres & recentiores autores omittam)

Breviat. Theol. disp. XV. th. IX. Dn. D. Hülsemannus: *Objectum adæquatum Prædestinationis*, inquit, *est homo vocatus, justificatus & sanctificatus, quem ab æterno intuitus est DEUS, tanquam non rejecturum primam seu communem omnibus vocatis gratiam, neq; deinceps succedentes majores gratiæ gradus, sed crediturum PER OBLATAM GRATIAM, & in illa perseveraturum.* Et paulo post: *ad quam oblationem (gratiæ)*

th. XI. *omnibus & singulis præstandam à sua parte DEUS paratus est.* Neq; igitur hic est, quod sibi quis à Pelagianismo metuere possit.

QVÆSTIO III.

Quid de propositione illa: Homo in conversione habet se merè passivè, *sentiendum, & quomodo ea rectè est intelligenda?*

Est illa propositio, prout sonat, non ipsius Scripturæ, sed Lutheri, qui eâ aliquoties contra Scholasticos, virium liberi arbitrij Patronos, est usus. Rectè admonent nostri Doctores, imprimis Chemnitius, illo loquendi modo facilè quenquam offendi posse, quasi sensus sit, Spiritum S. ita operari conversionem, ut in voluntate, quæ renovari cœpit, nulli sequantur novi motus, sed planè sit otiosa & iners: ideoq; non nisi additâ sanâ interpretatione esse defendendum. Quam idem ille Chemnitius integro capite, eoq; satis prolixo in locis communibus est persecutus. Cœterùm ut exactè intelligatur, quo sensu admittenda, quo reijcienda

Exam. Concil. Trid. part. I. p. 227.

De lib. Arbit. cap. VII.

cienda sit illa propositio, notandum, quòd hæc locutio, *homo in conversione se habet merè passivè*, dupliciter possit intelligi. Vel ita, ut significetur, hominem ex propriis & naturalibus liberi arbitrij viribus nihil prorsus in conversione sui præstare; vel generaliter ad hunc modum, hominem in conversionis actu nihil omninò agere, neq; ex propriis, neq; ex collatis per Spiritum S. viribus.

Priori modo si accipiatur, verissimum est de toto conversionis actu, quòd homo se merè passivè habeat. Utpote qui nihil omninò ad suæ conversionis sive initium, sive progressum, sive finem ex nativis suis viribus confert, sed ex gratia Spiritûs S. unicè & in solidum habet, quicquid ad tantum opus requiritur. Verumenimverò utut hoc sensu acceptum istud axioma quoad rem ipsam sit orthodoxum, quoad phrasin tamen incommodum est, & minùs conveniens. Si *habere se purè passivè*, idem est quod ex propriis viribus nihil agere; sequetur, non tantùm in toto conversionis actu, sed etiam post conversionem, imò per universam vitam suam hominem se merè passivè habere. Quicquid enim post conversionẽ quoq; in spiritualibus boni operatur, id non ex se habet; sed ex sola Spiritus S. gratia, ut F. C. nostriq; Theologi in universum omnes docent. Cùm autem insveta sit Ecclesiis nostris vox, hominem post conversionem se habere purè passivè, non poterit ea phrasis, si propriè loqui velimus, indigitare, hominem nihil ex propriis & naturalibus viribus operari.

Retinendus igitur, dum est defendenda hæc propositio, posterior sensus: ut, *passivè se habere*, nihil sit aliud, quam in genere nihil quicquam agere, sed reci-

 pere

pere solùm ac pati, insinueturq; per illum loquendi modum, hominem neq; ex suis viribus, neq; ope & virtute Spiritus S. ullas elicere actiones; sed mera patientis conditione in sui conversione considerandum venire. Sed sic, ne in Enthusiastarum castra descendamus, sensus illius probè circumscribendus. Quod ut fiat, studiosissimè ex Chemnitio observandum, *hominis conversionem non esse talem mutationem, qua uno momēto statim omnibus suis partibus absolvatur & perficiatur: sed habere suā initia, suos progressus, quibus in magna infirmitate perficiatur.* Per distinctos nimirum, ut à S. Augustino usurpantur, & ab eo tempore in Ecclesia retinentur, gratiæ gradûs: prævenientis & excitantis, operantis, cooperantis & perficientis &c: De quibus legendus, post ipsum Augustinum, incomparabilis noster Chemnitius & Excell. Dn. D. Hûlsemannus. Quanquam fortassis variis istis gratiæ divisionibus ob diversam autorum usurpationem intricatior hæc materia quam expeditior reddatur. De quo postea dicemus. Nunc his positis dico: hominem in conversione se habere pure passivè, quoad initium conversionis seu gratiam prævenientem, quæ primùm hominis prorsus irregeniti intellectui & voluntati per verbū se insinuat, eundemq; ad reliquū conversionis opus, ut Augustinus loquitur, præparat. Ad quē initialem conversionis statum illud merè passivè Dn. D. Hûlsemannus accuratè restringit, his verbis: *In hac (incipiente & præveniente gratia) homo se merè passivè habet, tum quoad initium, tum quoad finem motûs divini. Nec ipse aliquid facit; sed tantùm negativè non repugnat morosè.*

LL. CC. de lib. arb. cap. VII. propos. 2.

LL. CC. de lib. arb. c. VI. disp. I. de gratia th. VIII. IX. X.

Loc. cit. th. 8.

Cæterùm in progressu conversionis dum assistit homini gratia operans, & imprimis cooperans ac perficiens,

ficiens, opusq; conversionis consummãs, nequaquam se habet merè passivè; sed agit aliquid & operatur. Non quidem ex propriis liberi arbitrij viribus; sed ex novis anteà jam concessis viribus gratiæ. Quæ iterum est omniũ illorum, qui accuratiùs hunc articulũ tractârunt, sententia. Venerandus Parens meus, commentario in librũ Luth. de servo arbitrio. *DE (1) PROGRESSU CONVERSIONIS, & (2) homine per Spiritum S. jam renato verba Lutheri (hominem se habere merè passivè) nullo modo sunt accipienda.* p. 113. Dietericus in Catechesi, libro omniũ tyronũ manibus versante: *In ipso actu conversionis,* inquit, *voluntas non est ociosa, neq; sine ullo motu aut sensu ut truncus; sed mota & conversa à Spiritu S. consentit & agit.* p. 466. Hutterus adversus Bellarminũ de hac materia disputans: *Non animadvertit,* inquit, *Sophista, & Lutherum, & Chemnitiũ considerare voluntatem hominis CONVERTENDI, non quatenus modò Spiritus S. eam illuminavit, & ex nolente ac repugnante fecit volentem ac consentientem: quo sanè pacto ETIAM ACTIVE eam concurrere, neuter illorum unquã negavit, &c:* L. L. C C. pag. 283. Ubi notandum, loqui Hutterum disertè de voluntate hominis CONVERTENDI. Et nihilominis illa SUB CONVERSIONE constituta & à Spiritu S. (per gratiam prævenientem) illuminata voluntas dicitur ACTIVE se in sui conversione habere. Gerhardus ubi ex professo statum controversiæ in articulo de viribus liberi arbitrij format: *Neq; quæstio est,* inquit. *an in conversione locũ habeant quædam actiones mentis & voluntatis, ita ut in ipsa conversionis inchoatione mens assentiatur, & voluntas desideret: concedimus enim conversionẽ non fieri sine actionibus mentis & voluntatis. Illud vero in quæstione est, unde mens & voluntas hoc habeant, ut spirituales motus proferant, & oblata in verbo gratiæ assentiantur, id quod unicè per gra-* Confess. Cathol. lib. 2. part. 2. spec. p. 537.

tiam

tiam ipsis præstari, non a. per vires naturales adhuc reliquas, vel ex toto, vel ex parte præstari posse dicimus.

Deniq, ut alios mittamus, Chemnitius, omnium, quotquot post Lutherũ vixerunt, nostrorũ Theologorũ accuratissimus, & de patria nostra præclarè meritus, tũ in locis Communib⁹, tũ in Examine Conc. Trid. toties affimat, hominẽ per primã gratiã in ipsa etiã conversione agere aliquid, ut allegari omnia loca non nisi cum tædio possint. Imprimis in Examine: *Ipsâ rei evidentiâ*, inquit, *manifestũ est, hominem in conversione agere aliquid &c:* Et in LL. com. ubi quæstionẽ illam, an voluntas hominis in conversione habeat se merè passivè, ex professo tractat: *Quando*, inquit, *gratia præveniens, i. e. prima initia fidei & conversionis, homini dantur, statim incipit lucta carnis & spiritus, & manifestum est, illã luctam non fieri sine motu nostræ voluntatis.* Et paulò pòst: *Quæ de gratia præveniente, præparante & operante traduntur, habent hunc sensũ, quòd non nostræ partes priores sint in conversione; sed quod DEUS per verbum & afflatũ divinũ nos præveniat, movens & impellens voluntatem. Post hunc autem motum voluntatis divinitùs factum, voluntas humana NON HABET SE PURE PASSIVE, sed mota & adjuta à Spiritu S. non repugnat, sed assentitur, & fit σύνεργος DEI.*

Part. 1. pag. mihi 220.

de lib. Arbitrio cap. VII.

Repeto, quæ dixi, tribus verbis. Homo habet se in conversione merè passivè, vel quoad proprias liberi arbitrij vires, quibus nihil in conversione agit; quæ tamen impropria est hujus propositionis acceptio: vel, si propriè de ipsa agendi facultate in genere, sive à natura, sive à gratia ea prodeat, intelligatur, verum est illud effatum de initio conversionis, non de progressu & fine. Quæ si attendantur, quicquid est apparentis apud nostros Doctores in usurpatione hujus phraseos diversitatis, facili negotio conciliatur.